

AD
INITIVM

EVANGELII S. JOHANNIS
 MACEDONIANIS
 CORRUPTVM

CONTRA

PONTIFICIOS
 DISSERTATIO:

QVAM

PRÆSIDE
 VIRO

PLVRIMVM REVERENDO, AMPLISSIMO ATQVE
 EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANNE SAVBERTO,
 THEOLOGIÆ DOCTORE, SACRI
 CODICIS PROFESSORE, EODEMQ; PRIMARIO,

Ac ECCLESIAE ANTISTITE,

DN. FAVTORE, PRÆCEPTORE, AC
 STVDIORVM SVORVM PROMOTORE, OMNI
 OBSERVANTIÆ CVLTV ÆTATEM
 DEVENERANDO,

Ex publicis ejusdem Lectionibus concinnatam

P. P.

JOHANN-HECTOR KAZAVER,

Reichenfando - Noricus

AVCTOR & RESPONDENS.

Addiem Decembris M. DC. LXXIX.

ALTDORFI

Litteris Johannis Henrici Schöningerstädt.

VIRIS

Plurimum Reverendis, Clarissimis atq; Doctissimis
Dominis

DN. JOHANNI VITO STOLLOIO, Ecclesiae

Hersbrucc. Pastori meritissimo.

DN. M. PAVLO MARTINO ALBERTI,

P.L.C. Pastori olim Lauffensi, nunc Diacono Laurent.

Norimb dignissimo.

DN. JOH. LEONHARDO PIHRINGERO,

Pastori Lauffensi vigilantissimo.

DN. M. JOHANNI LEONHARDO WILLIO,

Diacono Hersbruccensi.

DN. M. JOHANNI KEILIO, Diacono Hers-
bruccensi.

DN. M. JOHANNI GEVDERO, P.L.C. Diacono
Lauffensi.

DN. JOHANNI STEPHANO KAZAVERO,

Pastori Reichensuandensi.

DN. CHRISTOPHORO TITIO, Pastori

Henffenfeldensi.

DN. ZACHARIÆ SCHMIDIO, Pastori

Odenfoënseni.

*Dominis Patronis, Parenti, Fautoribus, atq; vicinis
suis summâ animi observantia filiali cultu aeternum prosequendis,
hasce Primitias theologicas,
offert, dicat ac consecrat*

V. PL. Rev. Dig.

observantissimus

Johann Hector Kazauer, Reichensuando Noricus,
Auctor & Respondens.





Veni Sancte Spiritus! Reple Tuorum corda fidelium!

Joh. 1,3,4.

*.3. Πάντα δι' αὐτῆς ἐγένετο· καὶ χωρὶς αὐτῆς ἐγένετο γάλα εὖ, ὃ γέγονεν.

*.4. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἡνίκα, καὶ ἡ ζωὴ ἡνίκα τὸ φῶς τῶν αἰθρίων.

*.3. *Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est.*

*.4. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.*

§. I.

Diu multumque jam contrā nixis Ario ejusque ascēclis damnatis, postquam veram ac æternam Christi divinitatem primum, quod Nicæz in Bithyniâ, congregatis ibi CCCXVIII. Episcopis, celebratum fuit oecumenicum concilium asseruisse; prodiit pōst paulò quidam Macedonius Episcopus Constantinopolitanus; homo & alias inquietus ac truculentus (cujus importunitatis specimen aliquod quasi in compendio legere est, ut alios taceamus, apud Nicetam Choniaten Thes. Orthodox. fid. lib. V. cap. XVI. fol. 45 6. & seq. & Suidam in Lex. hist. voc. *Macedonius* fol. 572. & seq.) novarum auctor turbarum. Probaverat & ipselatè sparsam Arii doctrinam, adeo in favorem illius omittens nihil, ut in Catholicon fraudem primus exigitaverit loco ὁμοσίαν vocem ὁμοσίαν, quo toti secta, ceu constat, pullulavit cognomen.

II. Postquam autem Arianorum res sequius, atque speciebat, cecidissent, & concilii auctoritati refragari haut satis etum duceret Macedonius, simulato fortassis consensu; exiguo tamen post tempore veram ac aeternam Spiritus S. divinitatem impetere, ac, conciliatis qui in suam descenderent sententiam quamplurimis, mox palam inficiari non dubitavit, novam haereticorum constituens sectam, sortitorum ab ipso nomen *Macedonianorum*, etiam a *Marathonio* con sorte ejus *Marathonianorum*, denique a blasphemâ, quam jactavit, sententiâ, πνευματομάχων.

III. Sanè ante Nicenam Synodum nihil hujus controversia ab ipsis saltim propalam fuisse motum vero admodum est simile; idemque ferè subindicare videtur Epiphanius in Panario libr. III. tom. I. haeres. LXXIII. fol. 422. col. 2. Unde cum Nicenum Concilium in Symbolo suo fuisse professum: τις ενωσις τὸ πνεῦμα τὸ ἀγίον h. e. Credo in Spiritum S. eo a capite ad calcem repetito, duntaxat allegatis verbis, alterum universale sexaginta annis post celebratum Concilium Constantinopolitanum, verba adjecit hæc: τὸ κύριον καὶ ζωοποιὸν, τὸ ἐν τῷ πατρὶ καὶ τῷ ὑπὸ ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ ὑπὸ συμπροσκυνέμενον καὶ συνδοξαζόμενον: h. e. dominum & verificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur.

IV. Utq; de Macedonianorum assertis circa hunc quidem articulum liquidius constet, contendunt isti, Spir. S. non esse Deum, sed Patris & Filii ministrum, non creatorem, sed creaturam, factum verò a Christo, Deo nequicquam aequalem, majorem autem angelis. Ista ut pateant apertius, quædam veteris ecclesiæ scriptorum testimonia huc congeremus. Theodoreus episcopus Cyrensis: Cum Paulus regia urbis Pastor, ab iis, qui morbo Aria laborabant, esset expulsus, Macedonius in illius Ecclesie administratione in ejus locum suffectus est. Hic autem Macedonius filium quidem esse ejusdem cum patre substantia omnino repudiavit. Ut similis autem in omnibus diceresur constituit, & ut omnes in hoc

ΣΩΣΕΙΣ (5.) ΣΩΣΕΙΣ

hoc est SIMILIS SUBSTANTIAE, pro EIVSDEM SUBSTANTIAE,
diceretur, excogitavit. Spiritum autem sanctum similiter ac Arius &
Eunomius blasphemare perrexerit. Vnde qui ab ejus sectâ appellabantur,
πνευματομάχοι, hoc est, spiritus adversarii, nominati sunt. Hinc
etiam Macedonianorum seminata sunt zizania. in compendio ha-
reticarum fabularum lib. IV. fol. 350. Idem in H. E. Vbi autem
Paulum hoc modo ad mortem, immo vero ad regnum cœlorum miserant,
Macedonium in ejus locum sufficiunt: quem, quoniam par ratione cum
ipsis blasphemiam contra Spiritum Sanctum usurpabat, sua opinionis
& doctrinae auctorem existimârunt. Verum non ita multo post, istum
quog de episcopatus illius gradu propterea dejecerunt, quod, quem sacra
Scriptura filium Dei nominat, creaturam vocare recusavit. Quâ de
causa hic ab Ariani segregatus, propria cuiusdam ac separata sectâ au-
ctor & paronus factus est: quippe filium patri consubstantialem dicere
noluit: Sed docuit, eum genitori in omnibus similem esse, & Spiritum
Sanctum eratum aperte asseruit. lib. II. cap. VI. fol. 52. Socrates: Ma-
cedonius, tametsi filium Deum esse, & cum aliis rebus omnibus, tum sub-
stantia patri similem asserebat: tamen Spiritum Sanctum istis honoris
quasi insignibus carere affirmavit, eumq. ministrum illis inservientem
vocavit. Fama autem apud multos percrebret, hunc errorem
non à Macedonio sed à Marathonio potius, qui ante à Nicomedia dele-
ctu fuit episcopus, primum excogitatum esse & propterea eos, qui hunc
tuentur errorem, Marathonianos nuncupatos. Ad istorum societatem
Eustathius etiam, qui Sebastiâ erat eam ob causam quam paulo antea po-
sui, extrusus, se adjunxit. Vbi vero à Macedonio denegatum erat,
Spiritum Sanctum divinitatis, qua est in trinitate, participem esse, tum
Eustathius: Ego (inquit) Spiritum Sanctum nego, Deum nominare in a-
nimum induco, nego, creaturam appellare audeo. Quamobrem qui fi-
dem Consubstantialis tenent, illos πνευματομάχους id est, Spiritus Sancti
oppugnatores vocant. H. E. lib. II. c. XXXV. f. 607. Sozomenus:
Nam simulut Macedonius episcopatu ecclœsa Constantinopolitana abdi-
catus fuit, deinceps ab Acacio & Eudoxio opinione dissentire cœpit. Si-
quidem filium Deum esse, & cum aliis rebus omnibus, tum substantia pa-
tri similem asserebat. At Spiritum Sanctum non ejusdem cum patre ac
filio honoris participem esse docuit, sed ministrum eum & famulum vo-
cavit: eademq. de illo qua de angelis verè dici possint differuit. Et pau-
lo post: Hanc barefum partim studio, partim pecuniâ adeo auxit Mara-
thoni-

thonius, uti non sine causa, ut mihi quidem videtur, Macedoniani à nonnullis Marathoniani vocarentur. H. E. lib. IV. cap. XXVI. fol. 327. Augustinus: Macedoniani sunt à Macedonio Constantino-politana Ecclesia Episcopo, quos Ἐπίκουροι θεοφόροι Graci dicunt, eò quod de Spiritu Sancto litigent. Nam de Patre & Filio recte sentiunt, quod unius sint ejusdemq; substantia vele essentia, sed de Spiritu Sancto hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes. Hos potius quidam Semiarianos vocant, quod in hac questione ex parte cum illis sint, ex parte nobiscum. Quamvis à nonnullis perhibcantur, non Deum, sed deitatem patris & filii dicere spiritum sanctum, & nullam propriam habere substantiam lib. de hæresibus cap. LII. tom. VI. fol. 6. col. 2. litt. D & E. Idem: Quapropter si Macedoniani heretici essetis, qui de solo spiritu sancto catholicæ fidei consentire detrectant, patrem vero & filium duos quidem esse, id est, illum patrem, illum filium, & aquales esse, atq; unius ejusdemq; substantia: nec tamen duos dominos deos, sed ambo simul unum dominum deum esse consentiunt &c: lib. contra Maximum cap. XXIII. tom. eod. fol. 164. col. 1. litt. B.C. Joh. Damascenus, si modò auctor is sit libri: πνευματόμαχοι id est cum spiritu bellantes, aut Spiritus hostes, à Macedonio Spiritus hoste nominati sunt. Hi de Christo recte sentiunt, Spiritum autem contumelis vexant. Eum enim ita creatum fuisse afferunt, ut à divinitate prodigiæ negent: aut potius eum dicant per actionem in proprio creatum, cum ex sola vi constet, ut ajunt, qua apta sit ad procreandam sanctitatem. de hæresibus fol. 554. Nicephorus: Macedonius namq; etiam si antè idem cum Eudoxio & Acacio sensisset, nihilominus tamen ex ecclesiâ suâ deturbatus non eandem porrò quam illi sequebatur opinionem, sed fidei professionem Antiochia primum, poste à etiam Seleucia confirmatam, quam ipse, seu potius Marathonius, quem Nicomedia episcopum fecerat, ut quidam putant, ignoratio hoc est. **ÆQVI SUBSTANTIALEM** appellabat, obtinere debere censuit. Verum non id modò egit, sed etiam in Theologiâ seu divinitatis ratione exponendâ, Spiritum sanctum personam unam Trinitatis dicendam esse negavit. Ac filium quidam Deum perfectum, & substantiam patri aqualem esse dixit: Spiritum sanctum autem expertem honoris & dignitatis ejusmodi statuebat, famulum eum & administrum, angelicusq; ordinibus paulò præstantiorem esse docens. Et in eadem cum eo sententiâ erant Eleusius Cyzicenus & Sophronius

Paphlago & Eustathius Sebastiensis, qui tamen alis equior, neq; Deum
neq; creaturam spiritum sanctum dicere maluit. Suffragabantur eis
& alii multi, & fere omnes quibus à parte adversa dignitas abrogata
fuerat. H. E. lib. IX. cap. XLVII. fol. 542. Add. Epiphanium
lib. III. tom. I. hæref. LXXIII fol. 389 & seqq. Isidorum Hispa-
lensem origg. lib. VII cap. V fol. 1013. Historiam Tripartitam
lib. V. cap. XLI fol. 82. col. 2. lib. Quanquam non nihil ho-
rum auctori Valentino hæresiarchæ adscribat Athanasius vel
quisquis ille fuerit (cum non sine caussis dubitent Erasmus,
Abrahamus Scultetus, aliquie) epistolâ ad Serapionem de Spi-
ritu S. tom. III. (licet in quibusdam editt. tom. I. sit inserta)
Illi dicunt, ex eo quod Paulus nominato Christo, Angelos statim sub-
junxerit, necessarium esse spiritum Angelis anumerari, & ejusdem ordi-
nis esse, cumq; Angelum esse, sed maiorem ceteris. Primum igitur in-
veniunt istud impietatis Valentini est; neq; isti ignorant, se, quod Valen-
tini est, loqui. Is enim inquit, missis paraclete, una cum eo missos esse
Angelos ejus coetaneos. Atq; ita redigentes spiritum in ordinem ange-
lorum, non sentiunt se Angelos Trinitati consociare. fol. 671.

§. V. Ex quo præterea dispalescit, Macedonianos hâc suâ
doctrinâ ab Aetio, ejusque discipulo Eunomio nec non ita nun-
cupatis Semiarianis discrepasse in eo, quod hi Sanctum Spi-
ritu creaturam creature impuro ructu proclamârint; illi creatu-
ram duntaxat: quamvis ad istorum castra & ductoris sui pristî-
num vomitum, ut opportunum erat, fuisse delatos ipfos, & per
intervallum vicissim inde reversos, sacra veteris ecclesia pro-
dant monumenta. Censemus exinde etiam, cum undehause-
rit tale quid nihil ferè solidi reperiamus, multum in hoc quoq;
falsum fuisse Johan:Calvinum scribentem: Nec absimilis Mace-
donianos rabies vexabat, quiper spiritum dona gratia duntaxat in
homines effusa intelligi volebant. lib. I. Institutionum cap. XIII
§. 16. pag. 35. col. 2. Quin hoc potius Photini ejusque sequa-
cium dogma esse vix liceat dubitare. Videantur Ostorodus in-
stitut: Germ. cap. IV. pag. 32. Joh. Crellius lib. I. de Deo cap.
XXII. pag. 158. Joh. Volckelius de verâ religione lib. V. cap.

XIV. pag. 493. Namque illius, cuius meminimus, seu veri seu personati Damasceni narrationem parum moramur, hanc quidem quod attinet circumstantiam. Etsi simile quid Eustathius Sebastiensis, diversum tamen à Macedonianâ sententiâ, videatur statuisse: quò & collimant nisi fallimur, ista quæ ex Augustino de hæref. §. anteced. adduximus.

V I. Tametsi verò, quod in anteceßum monemus, nempe cum id jam ante fecerimus alibi, & à doctioribus enixò præstum fuerit studio, blasphema, sive Arii de Christo, sive Macedonii de Spiritu sancto, excutere dogmata, ea ventilanda proponere & ad hæreticorum objectiones respondere animus in præsenti nequaquam est: quæ recitavimus tamen hactenus, operæ pretium erat adducere ac præmittere scopo, quem hâc vice præfiximus, attingendo. Atque eum quidem principio constituimus ipsum hunc, ut ostendamus, Macedonianos male suæ caussæ quæsitos patrocinium ac auleum, rapacibus involasse unguibus in Evangelicam S. Johannis historiam, eiq; protervè intentâsse vim, factâ longè dein propagatâ corruptione.

VII. Locus quem nostræ Dissertationis argumento intendimus, habetur versiculis tertio ac quarto capituli primi: Quibus cum olim lectum fuerit, & etiam nunc recte ac correcte legatur ac interdistinguatur, quod præcipuum hujus quæstionis momentum est: ¶ 3. Πάντα δι ἀυτῶν ἐγένετο καὶ χωρὶς ἀυτῶν ἐγένετο εἰδὲ οὐ, δὲ γέγονεν ¶ 4. εἰ ἀυτῷ ζωὴν οὐκ ἔχει &c. hoc est: ¶ 3. Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil, quod factum est. ¶ 4. In ipso vita erat &c. Ex adverso Macedoniani seu Pneumatomachi finales duas vers. tertii voces: δὲ γέγονεν, quod factum est, inde decerpserunt, ac versus quarti fecerunt initiales, turbato sensu, totoque dein, prout autumabant, profectò non absque omni specie, rapto in suas partes obtorto quasi collo istum in modum: ¶ 3 πάντα δι ἀυτῶν ἐγένετο καὶ χωρὶς ἀυτῶν ἐγένετο εἰδὲ εἰ. ¶ 4. δὲ γέγονεν, εἰ ἀυτῷ ζωὴν οὐκ. &c. hoc est: ¶ 3. Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum

factum est nihil. ¶ 4. Quod factum est, in ipso vita erat &c : Vnde inferebant : Si sine Christo nihil factum est, ergo Spiritus Sanctus quoque est creatura. Cum tamen Johannes, ne quis incideret in talem errorem, recte limitaverit sententiam, addendo verba, quæ ipsi postea præcidere : *λογος αὐτοῦ εὑρετούσθαι εἰναι, οὐ γέγονεν.* Et sine ipso factum est nihil. QVOD FACTVM EST.

§. VIII. Primus, quod scimus, istas hæreticorum strophas ac fraudes detexit S. Chrysostomus, ipso illo tempore, quo Macedonianorum virus exserere se magis ac magis progrederetur, vindicta veritatis atque orthodoxus ecclesiæ Doctor. Is homiliâ IV. in Joh. Evangel. inter multa scribit: *Neg, cùm dixerimus : SINE IPSO FACTVM EST NIHIL, profectò id puncto notabimus, ut heretici opinantur. Hienim cùm velint spiritum creatum esse, sic legunt : QVOD FACTVM EST IN IPSO VITA ERAT :* verum nullâ profectò ratione hac intelligi potest oratio. tom. II. in Nov. Test. fol. 33. Et postquam accuratè, ut solet, ac sollicitè inconvenientiam distinctionis istius ante oculos posuisset (cùm longum nimis foret exscribere & in imparem constitutarum harum pagellarum angustioremque numerum referre verba omnia) pergit denique: *Sed jam satis risimus vobis has inceptias ; hec monstrata consideranda dimittimus, ne risus movendi dumtaxat gratia hac dixisse videamur, & tempus conteramus incassum. Nam si neg, de spiritu id dictum est, ut planè ostendimus, neq, de creaturâ, & eo quod asserunt puncto esset is textus distinguendus, illud unum sequeretur absurdissimum, quod ante diximus, Filium per seipsum factum esse. Si enim lux vera Filius est, lux autem hac erat vita : vita autem facta est in ipso : eorum procul dubio sententiâ hac conjungi, & in idem venire necesse est. Quamobrem hâc rejectâ, veram aggrediamur lectiōnem & expositionem. Quanam autem ea est ? ut postea particulam, QVOD FACTVM EST, perfectum punctum apponamus ; deinde clausulam incipiamus : IN IPSO VITA ERAT : cuius particula sententia hujusmodi est : SINE IPSO FACTVM EST NIHIL, QVOD FACTVM EST. Si quid factum est, inquit, sine ipso factum non est. Vides quo pacto hâc brevi adjectione omnia corrigit inconvenientia ?*

Ex eâ enim particulâ: SINE IPSO FACTVM EST NIHIL: & ad-
jectio[n]e, QVOD FACTVM EST: intelligibilia comprehendit, Spir-
itum subtrahit. Quippe cum dixisset: OMNIA PER IPSVM FACTA
SVNT, ET SINE IPSO FACTVM EST NIHIL; Ne quis suspicar-
tur si omnia per ipsum, Spiritum quoq[ue] per ipsum factum esse, ea fuit ad-
jectio[n]e necessaria. Ergo si quid factum est, id per ipsum factum dixit, sive
invisibile sit, sive corporeum, sive cælest[e]. Præterea non simpliciter di-
xit, omnia: sed, siquid factum est, hoc est genitum: Spiritus verò inge-
nitus est. &c: &c: ibid. fol. 34. & seq.

IX. Chrysostomo succedat epitomator, quod multi putant,
ejusdem, Theophylactus, qui comment. in h. l. scribit inter alia:
Pneumatomachi, qui Spiritum negant Deum, hanc particulam sic le-
gunt: Et SINE IPSO FACTVM EST NIHIL. Deinde hoc loco fa-
cto puncto, legunt quasi ab altero principio: QVOD FACTVM EST,
IN IPSO VITA ERAT; & interpretantur locum juxta suam men-
tem, dicentes: quod hoc loco de Spiritu S. Evangelista disserat dicens:
QVOD FACTVM EST IN IPSO, hoc est Spiritus sanctus, VITA
ERAT. Hac autem dicunt Macedoniani, conantes ostendere Spiritum
S. esse creaturam, & annumerare cum his, que facta sunt. Nos autem
non sic, sed puncto facto, postquam dixit: QVOD FACTVM EST. Tunc
novum principium legimus: IN IPSO VITA ERAT, &c: fol. 218.
Cui jungere pariter possumus & ipsum, quem ajunt nonnulli,
Chrysostomi abbreviatorem, Euthymium, non minus gravi-
ter adversus interpolatorum officias depugnantem: Qui
Spiritui S. scribit, resistunt ejusq[ue] naturam diminuunt, post id, quod di-
citur: SINE IPSO FACTVM EST NIHIL, distinctionem statuunt:
deinde, quod sequitur, simul legunt. QVOD FACTVM EST IN IPSO VITA
ERAT, ut Spiritum S. factum esse demonstrent, nam de ipso loqui dicunt
hujusmodi verbum. Facile autem refelluntur: primum, quia pars illa,
QVOD FACTVM EST, indistincte posita, omne quod factum est, indi-
cat. Deinde, quia etiam vita dicitur esse lux: subdit enim, quod
VITA ERAT LVX HOMINVM. Post paululum autem de Johanne
loquens: HIC VENIT IN TESTIMONIVM VT TESTIMONIVM
PERHIBERET DE LVCE. Manifestum est autem, quod Johannes
non de Spiritu sancto, sed de Filio tulit testimonium, sicut in sequentibus
invenimus. comment. in h. l.

X. Dissimulare autem fas non est, virum alias doctissimum,
deque

deq; bonis litteris promovendis, maximè cum earū cultura ante superiora circiter, duo secula renasci inciperet, apprimè meritum Desiderium Erasmus Roterodamum, nescimus quo præcipitatum errore, lapsum fortè memoriam, admodum insubide ac oscitanter asseruisse Gregorium Nazianzenum à verâ ac genuinâ sanctæ Scripturæ lectione hīc deviâsse, quam ille ex adverso graviter ac cordatè contra Pneumatomachos defendit. Quin audiamus ipsum S. Patrem differentem : *Ne id quidem metuam, quod omnia per Filium facta esse dicantur : quasi sanctus etiam Spiritus ex omnibus illis unus sit. Dicitur enim, OMNIA QVA FACTA SVNT, non simpliciter, OMNIA.* Nam nec Pater hoc in numero est, nec quacunq; facta non sunt. *Quapropter ubi demonstraveris, Spiritum sanctum esse factum : tum deinde Filio ipsum tribue, atq; inter creatarē recenseto.* Donec autem hoc non demonstraveris, nihil ad impietatem adjumenti de voce cuncta comprehendente habebis. *Nam si factus est, omnino per Christum factus est, id quod nec ipse inficiabor.* Sin factus non est, quo pacto vel unus est ex ipsis omnibus, vel per Christum? Orat. VI. de Spiritu S. Dignum profectō notatu & in præsentem rem valdè commodum scholion, quod hisce addidit Elias Cretensis episcopus; quod utut prolixius adscribere non pigrabimur : *Macedoniani, qui sanam de Filio sententiam amplecterentur, eumq; faterentur ejusdem esse cum Patre essentia, verum impie de Spiritu sancto sentirent, quem creaturam dicerent: hic ergo ad probandum esse illum creatum, etiam dictum illud Evangelii proferebant, non integrum tamen, sed mutilatum, quo traditur, omnia per Filium esse facta.* Sic enim colligebant : *Si omnia per ipsum facta sunt, etiam Spiritus.* Itaq; Spiritum censēbant unum esse de iis, que ora- ta creatarē sunt. Quibus se magnus hic vir opponens : *Ne illud quidem (inquit) formidabo, quod omnia per filium facta sint, quasi Spiritus etiam sanctus in omnium illorum numero sit.* Nam illum esse suprà creaturam omnem etiam ipse auctor Evangelica historia per id declaravit, quod adjecit. *Dum enim infert, ABSQVE IPSO NIHIL FACTVM EST, & adjicit, QVOD FACTVM EST: & Spiritum eximit, & qua mentis intelligentiâ percipimus comprehendit.* Omnia deniq; absurdâ, qua suboriri possent, correctione hāc sustulit. Nam ne quis diceret : *Si*

per ipsum omnia, etiam Spiritus sanctus per ipsum factus est, hoc ipso ad-ditamento opus erat. Ego, inquit, dixi per Filium factum esse, quidquid ortum habuerit, etiam si vel inadspectabile sit, vele expers corporis. Spir-itus autem ortus expers est. Itaque non simpliciter Evangelista dixit, OMNIA per Filium esse facta. Nam nec Pater per ipsum factus est, nec quaecunque simpliciter facta non sunt. Ergo ne sanctus quidem Spiritus. Primi igitur ostendito, Pneumatomache, Spiritum sanctum factum esse: ac tum deinde Filio eum tribue tanquam creatum aliquod, & inter creatarē recenseto. Id si demonstrare non potes, nihil ex oratione illā cun-cta complectente, quā dicuntur omnia per Filium facta esse, adjumentū habes ad impietatem contra Spiritum sanctum tuam, ut illum creatu-rum appelles. Nā de rerum omnium, quae facta sunt, numero exemptus est: ut qui ortus non sit, sed aeternū cum Patre ac Filio fuerit. Nam si fa-clus est, quia per Christum omnia facta sunt, per eundem hunc quoque fa ctum esse fatebor, non negabo. At si factus non est, sed semper cum Pa-tre ac Filio existit: quo pacto vel erit unum de creatis à Christo factis, vel per Christum factus dici poterit? Quicquid enim vel mentis intel-ligentia comprehenditur, vele sensibile, per Christum factum esse di-citur. At Spiritus ortum nullum habuit. Quapropter per Filium ille factus non est, sed semper cum illo erat. fol. 182. Operum Nazianz.

XI. Eundem quoque evitavit scopulum tribus, si recte com-putatum fuerit, locis Epiphanius. Alexandrinos & Agyptios retinuisse lectionem, quam Chrysostomus prodit esse veram, testatur Ambrosius loco infrā §. XVII. allegando. S. Hilarius autem cùm de versu tertio nihil demeret, quartum mutilavit tamen versum ac initiales ejus duas voces: εἰ ἀντῷ, ibi amputa-tas priori adjecit hōc modō: *Sine eo factum est nihil, quod fa ctum est in ipso.* &c. Id quod etiam fecit anonymous quidam apud Theophylactum, quem ille *sanc̄tum Orthodoxum* appellat l.c. Perspicimus ex his, devotissimo utique erga D E V M Opt. Max. animo, quamvis veteres Græci Codices, quod alibi luculentis-simē demonstravimus, sine accentibus interdistinctionumque notis exarati plerique omnes uncialibus litteris fuerint, provi-dam nihilominus clementiam Divinam cavisse sancte, ne quid inde detrimenti pateretur veritas, quin intemerata persisteret

& ca-

& catholicæ semper exsplendesceret Ecclesiæ per fideles assertores propagata. Et ei quidem in hâc nostri loci lectione contra Macedonianam nequitiam ac violentiam adstipulantur, excepto unō, omnes Evangelii S. Johannis Codices, quos bene multos vidit, diligentissimus in tali Collatione Beza quod testatur Comment. in h. l. fol. 333. dignus certè, qui legatur. Etiam Robertus Stephanus ex plurimis, quos tūm ex instructissimā bibliothecā Regiā tūm aliundē plerosque præstantissimos ad manus habuit, codicibus Græcis manuscriptis tres tantum citat viatio isto infectos. Omittimus alios. Etiam vetustissimæ versiones (si vulgatam de quâ posteā, ocyus serius corruptam, namq; ea circumstantia non liquet, excipiamus) nostram confirmant sententiam. Ita Syriaca: Ita versio pariter pervetus Anglo Saxonica: ¶. 3. Ealle thing uuaren gevvorhte thurh hyne. and nan thing uuas gevvorht butan hym thet gevvorht uuas: ¶.4. On hym uuas lif. and that lifuuas manna lecht. Ita Nonnus Panopolitanus in sua paraphr. Evang. Joh. statim initio:

καὶ ἐργοσύνη δίχα μόθι
ἔδει ἔφυ, τόπερ ἔσκε. Καὶ ἐμφυτῷ τὸν ἀντώνιον
ζωὴν πασιμέλαστα, &c.

Et optandum esset Gothicam, quam putant, Vlfilæ, Macedonii fortassis coævi, quod ex Socratis Hist. Eccles. haut obscurè licet colligere, certè, cùm Macedonianum cacoëthes lacertos extendere inciperet, florentis (licet ipse dein in Arii castra putidè deceptus transferit) versionem, quam ab interitu per Franciscum Junium F.F. assertam, ante hos quasi XIV. annos publico donavit Thomas Mareschallus, Anglus, hoc Evangelii Johannis initio non esse truncam ac laceram.

XII. Neq; verò jam prolixius lubet differere de Socinianis, qui retentâ verâ lectione (quod quidem interdistinctionem attinet, hanc nempe, prout ea legitur in Germ. eorum versione N. T. tām veteri Racoviensi, quæ fertur esse Valent. Smalcii, quām recentiore Amstelodam. quæ præfatorem exhibit Jerem. Felbingerum : *Alle Ding geschahen durch sie : und ohne sie geschah nicht ein einig Ding / welches geschehen ist.*) ad destruendū de æternâ Christi divinitate dogma, cùm hōc locō validē urgerentur, eādem abusi, invenisse in illâ sibi videbantur, non quod pueri in fabâ. Cùm enim in ipsis verbis: *Omnia per ipsū facta sunt, vocem omnia restringerent ad substratam, quam admodum violenter finxerunt, materiam, nempè ad ea, qua facta sunt per Christum hominem,* & porrò, *qua ad novum fædus quo modo pertinent;* ipsis suis officiis robur ac fucum ex adjectâ, de quâ disquirimus clausulâ, aucupari fuére annixi, inferendo: *Si quis rectè attendat, animadverteret, Johannem in posterioribus verbis priora quodammodo limitare, dum addit :* QVOD FACTVM EST. Q.d. quod nuper factum oculis nostris vidimus & de quo loqui perpetuo solemus. Verba sunt Joh. Volkelii lib. V. de verâ Relig. cap. 10. pag. 446. Sed hoc est vim facere Scripturæ: non limitare eam, sed ut lutor corium tractare.

XIII. Ex adverso Manichæi tempore quidem, si hyperaspisten eorum & choragum spectemus, Macedonianis priores receperunt pravam istam textus distinctionem, & per nihil intellexerunt peccatum sive malitiam, quam nimirum sine Christo factam esse hic affirmari contenderunt: de quo inter alios Carolus Molinæus J. V. D.: *Prodigiósus error fuit velfuror Manichæi, qui hanc clausulam exponebat affirmativè: ut sensus sit ipsum nihil factum esse absq; Deo, intelligens sub voce, Nihil, omnem corporalem creaturam, & materiam primam, quasi parum entitatis habentem: Ideò per, nihil, intelligi, quam antiqui Philosophi, bylen dixerunt, quasi informem & sine qualitate materiam, quam dicit factam à principio malo, ponens impie duo principia, unum simpliciter bonum, aliud simpliciter malum:*

qua

que est manifesta depravatio textus: in quo non habetur esse, una vero sed esse in duabus vocibus, quarum prior composita significat, NEQ; secunda nomen est, significans, V N V M, non autem, N V L V M, vel NIHIL ut, &c. Et sic necessario exponendum est, ut nuper ad verbum vertimus, in Collation. IV. Evangelist. annot. in VIII. partem fol. 98, num. 6. Addatur Jansenius Concord. Evangg. fol. 6. col. 2. Sic Augustinus etiam adversus eosd. libr. de naturâ boni: Neg. enim audienda sunt deliramenta hominum, qui, nihil, hoc loco aliquid intelligendum putant (quod nihil non aliquid significat:) & ad hujusmodi vanitatem proprieatē putant cogi posse aliquem, quia ipsum, nihil, in fine positum est sententia. Ergo, inquit, factum est, & ideo quia factum est ipsum nihil aliquid est. Sensem enim perdiderunt studio contradicendi &c. cap. XXV. tom. VI. fol. 120. col. 4. Cum autem audiimus omnia ex ipso & per ipsum & in ipso: omnes utiq; naturas intellegere debemus qua naturaliter sunt. Neg. enim ex ipso sunt peccata, qua naturam non servant, sed vitiant, qua peccata ex voluntate esse peccantium multis modis sancta Scriptura testatur. cap. XVII. ibid. fol. 121. col. 1. Idem tract. in Evang. Joh. Videte ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est: solent enim multi male intelligentes, sine ipso factum est nihil, putare aliquid esse nihil. Peccatum quidem non per ipsum factum est, & manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil sunt homines cum peccant. Et idolum non per verbum factum est. Habet quidem formam quandam humanam, sed ipse homo per verbum factus est: nam forma hominis in idolo, non per verbum facta est: & scriptum est, scimus quia nihil est idolum. tom. IX. fol. 3. col. 2. Quæ verba tamen quibusdam expositionis Manichæarum fordium aliquid secum trahentis fiunt suspecta. Sanè clarissimæ eadem, quod presentis loci à Manichæis excogitatam explicationem spectat, adhærere videntur aliis istis ejusdem Augustini verbis: Ecce Domine, quia lux non est, mors est, immo non est mors, quia nihil est mors: nam per ipsam ad nihil tendimus, dum nos nihil facere per peccatum non formidamus. Et justè quidem hoc Domine, nam dignus factis recipimus, dum ad nihil devenimus tanquam aqua decurrentis, quia sine te factum est nihil, & nos faciendo nihil, facti sumus nihil, quia sine te sumus nihil, per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil; in Soliloquii cap. IV. tom. IX. fol. 164. col. 4. Magisque istis

sub

sub seqq. ead. col. Vulneraverunt me iniquitates meae, & non dolui, quia tu es vita, & ego non eram tecum, per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil : & ideo sine te factus sum nihil, quia est nihil, quod ad nihilum dicit. Omnia per ipsum facta sunt, quacunq; facta sunt. Et qualia facta sunt? Vedit Deus cuncta quae fecerat, & erant valde bona. Omnia quacunq; sunt, per verbum facta sunt : Et quacunq; per verbum facta sunt, valde bona sunt. Quare bona sunt, quia omnia per verbum facta sunt? Et sine ipso factum est nihil, quia nihil bonum sine summo bono est. Sed malum est, ubi non est illud bonum, quod utiq; nihil est, quia nihil aliud est malum, quam privatio boni : sicut nihil aliud est cæcitas, quam privatio luminis. Malum itaq; nihil est, quia sine verbo factum est, sine quo factum est nihil. &c. &c. cap. V. Videatur totum caput. Si modo hic ipse liber genuinus Augustini sit foetus nec suppositius, de quo tamen ambigunt multi intelligentiores; atque de ipso aliisque quibusdam tomis IX. operum Augustini tale existat, ipsius Bellarmini judicium : Non possumus certò astruere eos esse Augustini : cum diligissimus collector Possidius eos praterierit, neq; inveniamus à Beda citatos, qui ex operibus Augustini Commentaria in Epistolas B. Pauli consecrit : nego audeamus plerosq; horum librorum, negare esse Augustini, cum piissim, & docti, & Augustini ingenio non indigni. de Scriptt. Eccl. Sec. V. ab init. pag. 134.

XIV. In idem cum Macedonianis & lectionis h. l. & expositionis consortium pertrahit ac producit nonnemo vir clarissimus Origenem Adamantium, statuentem inde : Spiritum S. esse ipsius verbi facturam, eog; inferiorem, allegans verba in hanc rem ex hom: ejusd. II. in Joh. Quanquam verò omnino concedamus, docuisse eum non solum de Christo idem ferè cum Arianis, sed & Spiritum S. factum fuisse à Verbo vel potius à Patre per Verbum, & Verbum antiquius existere ipso Spiritu, hunc esse ministrum, majorem Patris fortitudinem esse, quam Filii & Spiritus S. & rursus majorem Filii fortitudinem esse quam Spiritus S. &c. de quo copiosè agunt & testantur diversis locis Epiphanius, Basilius M., Hieronymus, Augustinus, Zonaras ac plures alii : Locum tamen Joh. quem sub manibus habe-

habemus depravatum à Macedonianis quod concernit, consensum circa eum Origenis ex allegatis tomis ejus in Joh. hanc satis tutò peti ei que opponi ideo existimamus, quod eosdem viri quidam docti judicioque pollentes suppositiis Origenis accenseant libris, ut apparet ex Andr. Riveti Crit. Sacr. lib. II. cap. 13. pag. 223. & seq. Licet, ut prætereamus jam alios ajentes idem, ille seu verus seu personatus Christoph. Christoph. Sandius eos *γνώσιον* Origenis agnoscat fœtum in Nucl. H. E. lib. I. pag. 60. Quo pacto toto seculo ante Macedonium & quod excurrit in interpolationem istam prior tentasset ac publicasset Origenes, secus ex parte ac agnoscere atque narrare videntur supra laudati Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius, qui proinde suspicionem sententiamque Riveti aliorumque de ipsis sic nuncupatis Origenianis tomis in Joh. luculentius confirmarent, Quod modo *as εν ταρόδη*.

XV. Certius id est vitiatæ lectioni succubuisse ex Græcis Clementem & Cyrillum, Alexandrinæ Ecclesiæ illum presbyterum, hunc episcopum; ex Latinis patribus ferè omnes. Nec mirum; eò quod Macedoniana pestis ista longè eundo lateque acquisiverit vires, & ingentem populorum variarumque nationum multitudinem occupaverit, inquinaveritque. *Suffragabuntur eis*, scribit Nicephorus, & alii multi, & ferè omnes quibus à parte adversâ dignitas abrogata fuerat. Nec minimam secum partem populi in urbe Constantinopolitanâ, atq[ue] in Bithyniâ, Thraciâ, Hellepono, & aliis viciniis in circuitu populus trahebant. Hist. Eccl. libr. IX. cap. 47. fol. 542. Atque hæc ferè transtulit ex Sozomeni Hist. Eccl. lib. IV. cap. 26. fol. 327. Sed & Arianos, ut lavaret manus manum, Macedonianæ imposturæ subscriptissile innuere videtur Ambrosius §. XVII. cit.

XVI. Modus autem, quo asseclarum numerum auxerunt Macedonius, & qui partes ejus acrius tūm in hâc tūm in alijs fidei quæstionibus tuebantur, non erat simplex. Primo enim

vitam sanctam, moresque graves, etiam in incessu & cultu extero affectabant. Pollebant deinde etiam facultate persuadendi & disertæ orationi studebant. Tertiò largas insuper in egenos ægrotosque, in templorum ac monasteriorum ædificia, liberaliter erogabant eleemosynas: sed & aliorum favorem atq; consensum emebant. Ita de iis Sozomenus: *Doctrinae eorum non exigua populim multitudo, tūm Constantinopoli, tūm in Bithynia, Thraciā, Hellestanto, tūm deniq; in aliis nationibus finitimi paruit. Etenim vitam, cui populus maximè solet animum attendere, non male instituebant. Nam incessus gravis illis, & vivendi ratio similis monachorum fuit, oratio non indiserta, indoles ad persuadendum apta, qualem etiam eo tempore Marathonium fuisse tradunt, qui cum questor publicus esset militum praefectus inservientium, multas collegit arietias: & ut primum militiam deseruit, ad conventus agrorum & pauperum curā ac studio sublevando se totum contulit. Postea vero suasu Eustathii episcopi Sebastia vitam monasticam amplexatus est, & conventum monachorum Constantinopoli coēgit, qui etiam ad hoc tempus successionis serie continuatus manet. Hanc heres in partim studio, partim pecuniā adeò auxit Marathonius, ut non sine causa, ut mihi quidem videtur, Macedoniani à nonnullis Marathonianis vocarentur. Nam solus iste cum collegis suis monachis causa exstirrit, quod minus hac heres Constantinopoli penitus extincta esset. Hist. Eccl. l. proximè cit. Et iterum Nicephorus: Vitā namq; & moribus (quos potissimum multitudo spectare solet) probatis erant. In publicum cum gravitate quādam venerandā prodibant. Instituta eorum non multum à monasticis aberant. Et sermo affectatā quādam sanctimoniam mistus, vim ad persuadendum satis accommodatam prefererebat. Qualis sane & Marathonius fuit, qui publicorum vetaligium inter milites sub ducibus stipendia facientes rationalis, loculis probè resertis, postquam eum quastum posthabuit, egenorum publicis domibus curator prafuit, & agrotis inserviuit. Deinde asceticam sive monasticam quoq; vitam, Eustathio Sebastiensi auctore secutus est. Insigne is etiam monasterium Constantinopoli construxit, quod ad longum duravit tempus. Tam studiosus vero Macedonii heres fuit, ut pecuniā suā expensā, propagandam eam curaverit: Marathonianosq; populares ejus appellando esse illis persuaserit. etiam l. c. fol. 542, 543 Quos au-*

autem his rationibus allicere & dementare non sustinebant, in eos vi omniꝫe fævitia involabant. Vix enim Macedonius e-
vectus fuerat ad episcopatus fastigium, lectis copiis militaribus,
publico bello dissentientes à se fuit aggressus; de quo Socrates:
Erat certè violentia non minor ea, quam illi olim adhibuerant, qui Christianos ad simulachra colenda compulserunt. Etenim multi cruciatus cuius generis, varias membrorum distortiones, bonorum publicationes perpeſſi sunt: alii patria finibus expulsi, alii tormentis enecti: nonnulli cùm effent abducti in exilium, interierunt. Et cum ista in omnibus Orientis civitatibus gerebantur, tūm Constantinopoli vel maximè. Hist. Eccl. libr. II. cap. 22. fol. 578. Qui quidem furor ejus successu temporis adeò non resedit, ut summis videatur incre-
menta. Sic enim porrò inter multa alia narrat Socrates:
Multi viri pietate eximiū, prehensi, tormentisq; proptere à graviter afflēti, quod cum illo communicare recusa verant: quin etiam isti postquam tormenta illis inflixerant, per vim mysteria cum ipsis participare coegerunt. Nam illorum ora ligno distendunt, mysteriaq; ingerunt: qui autem hunc cruciatum subibant, ipsum aliis tormentis multò punitaverunt acerbiorem. Mulieres porrò & pueros abripiunt, mysteriorumq; cum il- lis participes fieri compellunt. Quod si renueret quisquam, aut illis con- tradiceret, statim verberibus casus fuit, & post verbera in vincula & carcerem conjectus, coactusq; alia acerba cruciamentorum genera susti- nere. Ex quibus unum & alterum, quò fævitia & crudelitas tum Ma- cedonii, tum aliorum qui id temporis fuerunt propter eam rem nobilitati, apud omnes liquido constet, in medio ponam. Vbera mulierum, mys- teria cum illis participare renuentum, inter arcularum labra intrusa ferris absiderunt. Easdem item partes aliis mulieribus partim ferro candente, partim ovis in igne quam maxime fieri poterat calefactis ex- usserunt. Novum hoc quidem cruciatus genus, etiam apud ipsos gentiles non aliquando audiuimus, isti qui se Christianos profitebantur, excogitā- runt. l.c. cap. 30. fol. 596 Dignus etiam quilegatur Sozomenus cap. 19. fol. 317.

XVII. Mirum ergò fortassis non est, cùm partim speciosâ verborum argutiarumque fuligine ab oculos jactâ, partim im- mani ac importunâ crudelitate & vi, tantæ multitudini, aut in-

escandæ, aut cogendæ, res hæc à Macedonianis perageretur, atque ex voto hîc illîc succederet, etiam depravatam lectionem istam transvisse in Codd. Evangel. Joh. plures, & ad plures ex in expositores, atque apud hos, orthodoxos licet, deceptos tamen hâc parte mirisque circumactos gyris nunc has nunc illas peperisse sententias ac diversa scholia. Quin etsi de alterâ illâ lectione ipsis aliquid constaret, tamen alteri huic inhæsere non nulli, obruti multitudine vitiatorum plerorumque Codicum Latinorum, tûm destituti etiam cognitione Græci sermonis, quâ instructi ex pluribus Græcis Codd. intemeratis à Græcis quoque patribus fraudis consciis, rectiora potuissent edoceri. Imbecillitatis exemplum præbeat hîc Ambrosius episcopus Mediolanensis, qui: *Verbum Dei*, scribit, *vita est*, quia VERBUM CARO FACTVM EST. Unde præclarè dixit Evangelista: QVOD FACTVM EST IN IPSO, VITA EST. Alexandrini quidem & Egyptii legunt: OMNIA PER IPSVM FACTA SVNT, ET SINE IPSO FACTVM EST NIHIL QVOD FACTVM EST. Et interposita distinctione subjiciunt: IN IPSO VITA EST. *Salvasit fidelibus illa distinctione: ego non vereor legere: QVOD FACTVM EST IN IPSO VITA EST.* Et nihil habet, quod teneat Arianus, quia non illius venena confidero, sed lectionis sacra consuetudinem recognosco. enarr. in Ps. XXXVI. tom. IV. operum fol. 491. add. fol. sequens.

XVIII. Vicissim mirum magis illud, & notatu dignum, maculam istam ab hæreticorum dolo ac malitiâ profectam aspersam Pontificiorum versioni, primò forsan incautè & oscitanter, mox pertinaciter retentam fuisse in eâdem. De quâ tamen, deturbato de folio textu originali, Concilium Tridentinum Sess. IV. Decr. I. horrendum in modum sic mandat: *Si quis libri ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ Catholîcâ legi consueverunt, & in vet. vulg. Latinâ Editione habentur, pro sacris & canoniciis non suscepit, anathema sit.* Et Decr. 2. præcipitur. *Vt eadem vet. & vulg. Editio, qua longo tot seculorum usu in ipsâ Ecclesiâ probata est, in publicis lectionibus, disputationibus,*

præ-

prædicationibus & expositionibus pro authenticâ habeatur, & ut nemo eam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.

XIX. In illâ ipsâ autem vet. vulg. locus noster sic legitur, quemadmodum fideliter eum expressit vetus Pontificiorum germanicus Interpretes, Johannes Dietenbergerus: *Alle Ding sind durch dasselbige gemacht / und ohne dasselbige ist nichts gemacht. Was gemacht ist / das war in ihm das Leben / ic.* Et alter ille Luthero-mastix, Hieronymus Emserus in germanicâ suâ versione sic pariter transtulit: *Und ohne dasselbige ist nichts gemacht. Was gemacht ist in ihm / das war das Leben.* Sic etiam initium Evangelii Johannis describit Missale Romanum in Misâ majori Nativitatis Domini. fol. 10. col. 1. quod quasi Norma sacrorum legendorum agendorumq; constitutum est Ecclesiæ Romano-Catholicæ.

XX. Sixtus Senensis, qui Concilio Tridentino præsens interfuit, scribit quidem: *Hanc sententiam sequitur omnis Latina Ecclesia, qua & mihi vera & germana videtur &c.* Enimverò cùm paulò ante alteram illam verè veram ac genuinam allegatis de corruptione per hæreticos factâ testimoniis sæpius à nobis laudatorum Sanctorum Patrum, Chrysostomi, Theophylacti & Euthymij recitâset, protestatur deinde & hæc subjicit: *Ex Patrum illorum verbis non est inferendum, eos esse hæreticos, qui punctum statuunt post particulam NIHIL; sed qui eo fine id faciunt, ut Spiritus S. divinitatem negent.* Bibl. S. libr. VI. annot. 173. fol. 626. col. 2. Concedamus hoc: rectè tamen ex Patrum illorum verbis est inferendum, versionem talem, quæ punctum statuit post particulam *Nihil*, eo ipso amplecti corruptionem aliquam Scripturæ ab hæreticis pronaram, & esse eatenus impuram, tantoque minus authenticam, licet expositores ejus hæreticorum vestigia non legant.

XXI. Hinc jam liquidissimum fluit argumentum: Quicunque corruptionem ab hæreticis profectam, quamquam Sancto-

rum Patrum fide dignissimis testimoniis meliora edoctus, pro authentico Dei verbo præfractè reputat aliisque sub fulmine Anathematis & excommunicationis ex Ecceſiâ obtrudit, ille eatenus non regitur à Spiritu S. Atqui Concilium Tridentinum hoc fecit. Ergò. Atq; ex iis, quæ supra sunt allata, idem de dignitate vulg. Lat. tum etiam Missarum Pontificiarum erit iudicium, similemque necterelicebit consequentiam.

XXII. Notum præterea in vulgus feré est, in arte expellendi dæmones ab obsessis multum desudare Pontificios exorcistas, sed & de hâc virtute suâ adversus ecclesias nostras gloriari, iisdemque insultare. Edidit hujus argumenti horrendum librum inter alios Zacharias Vice-Comes Venetiis, cui splendidum fecit titulum : *Complementum artis Exorcistica, cui simile nunquam visum est &c.* In eo execrabilis autor ejicit, execratur & anathematizat dæmones ut sint à Deo maledicti *sicut Macedoniani.* part. III. fol. 555. Enimverò ad fugandos diabulos inter prima laudatur ibi initium Evangelii Johannis, sicut tamen recitandum : *In principio &c. & sine ipso factum est nihil.* Quod factum est : *in ipso vita erat &c.* part. II. fol. 246. Hoc nimirum est in pari gradu maledictionis dæmones cum Macedonianis constituere & tamen in eâdem cum hæreticis istis hærere pice, conceptâ adversus dæmones ejectionis formulâ per ipsam illam Macedonianam hæresin turpiter conspurcatâ & veneno suo infectâ. Verbo : Ita Pontifex exorcista ex parte ipsos oppidò incautè execratur Pontificios, utpote qui Macedonia Scripturæ corruptionem scientes tolerant & pro divinâ veritate recipi atrociter imperant. Sane sic, quod innocensissimo Servatori per meram calumniam improperabatur, meritò objici posset Pontificiis, *ejicere eos dæmonia per Beelzebub Principem demoniorum,* Luc. XI, 15.

XXIII. Venit hic in mentem Evangelii Johannis specialiori appellatione sic nuncupati apud Pontificios, quod ut singulare

re

re κερμάτιον jactitant & pro amuleto gestandum suadent , tan-
 quam omnis generis amoliturum maleficia , in primis adversus
 dæmonum incursum. Tale à Cappuccino quodam sibi donatum
 ac mirificè commendatum Nobilissimus ac Perstrenuus Vir
 quidam suavi cum risu ac seriâ improbatione superstitionis
 EXCELL. DN. PRÆSIDI DISPUTATIONIS HVIVS, cum superiori anno
 iter unâ facerent, ostendit in viâ, serico probè inclusum , filisq;
 & diligentí suturâ munitum ; sed & idem arrepto mox cultro
 sponte resecare, ut quid intus esset, appareret, cœpit. Sericeo
 operculo soluto, quām multa unum post aliud involucra ex re-
 jiculis chartis explicata ac semota tandem loco ultimo istum
 scilicet thesaurum præsentabant, plagulam nimirum quartam
 quaternionis partem exæquantem , cum nigerrimo in fronte
 impresso sigillo ; cui post varias orationes , benedictiones , in-
 cantationes, inscriptum deniq; erat initium Evangelii Johan-
 nis & verba quidem illa , de quibus disquirimus sine interdi-
 stinctione præcedentibus annexa sic : *& sine ipso factum est nihil*
quod factum est; &c. Cæterū pleraque in eâ adeò indoctè, negli-
 genter , insipide, sine omni quasi curâ descripta, ut pudere de-
 beat ejus commendatores, quibus frons non periit omnis. De-
 libabimus duntaxat paucula exinde. Legitur v. g. ac scribitur
 ibi: *ad omni incursu pro ab omni incursu, patres averse pro partes*
aversæ, ego conjugo vos pro ego conjuro vos, sub quocunque præteritu
pro sub quocunque praextu, pervisionem pro per visionem, caracte-
ribus, pro characteribus, recedit pro recedite, compuisti pro combu-
sti, quinta mandatum meum non est meum pro quia mandatum &c. su-
per agros manus impotent pro imponent, Esereheye pro Aschar ahja,
DEL vixi pro DEL vivi, Inpropria pro in propria. Et horum plura
 proferri possent in medium. Subscriptio existat talis *Fr. Bartho-*
lomaeus Roccade Palermo Inq. Taurini vidi, permittitque ut imprima-
tur, pro Rocca de Palermo -- vidit, permittitque &c. Hæc cine verò
 portenta pertercent diabolos, ejiciant ex obsecisis, ad obsequi-
 um co-

um cogant? Non aliter nimirum, quam exorcistæ illius Pontificii vox gravis, de quo refertur, cum ad obsecrum dixisset: *Exi male Spirite!* respondisse dæmonem: *Nollo!* Et cum is instaret: *cur nollis?* regessisse hunc iterum: *Quia rumpas in Grammatolto.* Sicque miserum exorcistam confusum infectâ re ad sua se recepisse.

XXIV. Nunc ut ad ea, quæ §. XXII. diximus revertamur, advertens fortassis ex his quædam Sixtus V. Pontifex Rom. cum emendatissimam vulg. vers. editionem vellet protrudere nec tamen rimam hoc loco commodè elabendi veritate quidem victus, inveniret, ne quid authentiæ vet. vulg. omnino derogaret monstrorum excogitavit Syncretismum Apostolico-Macedonianum, utramque lectionem veram & corruptam confundens, sicque Christianam ecclesiam in incerto relinques & adunco suspendens naso, ipse Pater scilicet infallibilis. Ita enim locum hunc castigavit, ac deinceps legere scribereque jussit, uti docet Franciscus Lucas Brugensis: *& sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat.* Addit jam Franciscus ille: *consultò illud: QVOD FACTVM EST, ita est interpunctum, ut & precedentibus jungi possit & subsequentibus.* in observatis ad Romanam correctionem ad Joh. I, 3. fol. 57. col. 1. & 2. Veruntamen hoc non est corrigere errores & veritatem restituere, sed eandem prostituere, fluctuare & miseram plebeculam ludificari. Eādem fere chordâ oberravit Alphonsus Salmero Jesuita tom. II. Comment. Evang tract. 14. de hoc loco scribens: *Nos in expositione nostrâ utramque lectionem sensibus catholicis prosequemur* fol. 134. col. 2. Et tract. seq. 15. non veretur asserere *utramque lectionem esse probandam* fol. 138. col. 1.

XXV. Videamus autem in quo censu habita fuerit à quibusdam ex ipsis Pontificiis dicta & Papæ Rom. & quod nuncupant sacrofæcti scilicet istius Concilii Tridentini circa hunc quidem locum auctoritas, atq; Pontificios veritatis testes opponamus

mus Pontificiis. Johannes Hentenius Mechliniensis diligenter & tenuiter vulgatae Latinæ ex plurimis optimis & vetustissimis Codicibus, quos in præloquio speciatim designat, castigator, in Bibliis Lovaniensibus locum nostrum sic interdistinxit : *Et sine ipso factum est nihil quod factum est: in ipso vita erat, & vita erat lux hominum. &c.* Et hanc distinctionem secutæ postea fuere editiones apud Pontificios plures aliæ : Imò etiam quædam antegressæ; qualis illa est Jacobi Fabri Stapulensis in Comment. super IV. Evangg. fol. 283. col. 2. Immanuel Sa Jesuita in suis notationibus in hunc locum : *Q u o d F A C T U M E s t,] id quædam jungunt cum precedentibus, alii cum sequentibus &c. mihi prior sententia planior videtur, ut sensus sit: omnia per ipsum facta esse, & si ne ipso nihil factum, ex iis, quæ facta sunt.* fol. 379. col. 1. Cornelius Jansenius Episcopus Gandavensis Comment. in Concord. Evangel. part. I. cap. I. *Jam & ipsa Graeca, quæ non habent, &c., sed & &c. magis expostulant, ut illud :* *Q u o d F A C T U M E s t, cum precedentibus jungatur, quemadmodum hodiè græci Codices distinguunt, & Theophylactus, & Chrysostomus* fol. 6. col. 2. Id quod postea uberrime amplius diducit & denique concludit : *Quoniam secundum omnes istas distinctiones nullus affertur sensus, qui satifaciat, longè simplicior & facilior est distinctio Chrysostomi & omnium penè græcorum, quâ, quod factum est, precedenti jungitur, &c.* fol. 7. col. 2. Vbi & postea ~~pro~~ laudat Thomam Cajetanum. Et horum asseclæ allegari quidem possent plures ex Romanensibus.

XXVI. Neque illi ipsi diffitebuntur, genuinam ac veram lectionem, quam diximus, haberi pariter in scriptis, prout hodiè in manibus versantur nostris, Irenæi, Apostolicis temporibus, ut ipse prodit sub finem Comment. ~~τετρατάξιον~~, vicini, nempè seculi secundi Episcopi, adeoque Macedonio longè antiquioris. Vid. libr. 3. adversus hæreses cap. XI. fol. 280. Adeo autem ille sollicitè, accuratè, sanctè, ac reverenter verbum Dei illibatè & absque omni corruptione docendum, servandumque

dumque tractabat, ut, teste Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis, jam memorata Commentaria istis notatu dignis obsignaret subscriptis verbis: *Adjuro te, qui transcribis librum istum, per Dominum Jesum Christum, & per gloriosum ejus adventum, quo iudicarurus es vivos & mortuos, ut conferas postquam transcripteris, & emendes illum ad exemplar, unde scriptisti, diligentissime.*

XXVII. Meretur hic sub finem obiter & illud observari: quod in libro precum: das Münchner Gebetbuch / n. d. 1500 nuncupato Cælareoque Privilégio insignito (cujus titulus jactat: durch die geistliche Obrigkeit corrigirt / gebessert / und vermehret) statim ante finem cap. V. initialia Evangelii Johannis verba non juxta Pontificiorum translationem & ad mandatum Concili Tridentini, sed ipsissimis verbis & distinctionibus versionis B. Lutheri sic sint expressa: *Im Anfang war das Wort/ und das Wort war bei Gott/ und Gott war das Wort: Dasselbige war im Anfang bei Gott. Alle Ding sind durch dasselbige gemacht / und ohne dasselbige ist nichts gemacht/ was gemacht ist. In ihm war das Leben/ und das Leben war das Licht der Menschen.* pag. 190.

XXIX. Eat jam Costerus, &c, quod facit, ex loco isto Johannis, prout ab hæreticis putidissime corruptus fuit, quantumlibet aliquid exscusat, unde poste à probet, sanctos defunctos necessitates ac preces hominum in hâc vitâ degentium, omniaq; quæ in terris hisce geruntur, plenè ac perfectissimè cognoscere, ac propterà invocandos esse. vid. Enchirid. cap. XII. pag. 462.



27.

COROLLARIUM.

Joh. VII, 39.

Ἐπειδὴν τὸν πνεῦμα τὸν

Nondum enim erat Spiritus Sanctus.

A Ntirinitarii quidam ex hoc loco impugnantur. *πνέων* Spiritus S. Nonnulli ex Commentatoribus existimant, locum hunc à Macedonianis esse castratum, & inde sublatas duas particulæ, επ' ἐντοῖς, quas in aliquo Codice graco reperiri testatur Robertus Stephanus, qua eadem etiam in Gothicâ versione conspicuntur. Sed respondetur: à particulari aliquo Codice non valeat argumentatio, ita ut si ille aliter textum legat, quam ceteri omnes, extra urgentem præserium necessitatem, hisce illum unum præferamus; quin in tali Codice ab industrio aliquo Lectore expostionis tantum gratiâ videntur istiusmodi particula addita & debinc male irrepisse in textum. Diciverò non potest, quantoperè desudarint Interpretes, in vero sensu constituendo. Eorum unus atq[ue] alter auctoritatem prætendit Syri, vertentis: non enim hic usque datus erat Spiritus, ubi in Syriaco est verbum **ΣΩΛ** tradidit, reddidit; cum quo tamen, quomodo Gracum verbum *νῶ* conveniret, non ausus est hactenus quisquam enucleare. Nos ex ipsis fundamentis, id est, naturâ ac more loquendi S. Scripturæ rem omnem faciemus planissimam, duobus potissimum in antecessum prænotatis. Inter usitatissima Ebraeorum verba est *נָתַר*, quod primario significat, dedit, pro materia diversitate autem alios quoq[ue] recipit sensus. Ita LXX. Graci illud non raro exprimunt per *εἰσι* sum. Esth. V, 3. & 6. cap. VII, 2. cap. IX, 12. & tibi dabitur: LXX. vertunt: *יְשִׁעֵנוּ*. Aliquando transferunt per *ἐνχέω* effundo. Exod. XXX, 18. dabis ibi aquas: LXX. *ἐνχέεις* eis *אֶת־תְּהֻבָּה* adde Num. XIX, 17. Aliquando per *ἐπιχέω* & *ἐπιχέω*. Lev. II, 15. dabis super eam oleum: LXX. *ἐπιχεῖς*. Lev. XI, 38. cum data fuerit aqua super semen, LXX. *ἐπιχυδῆ*. Esto igitur hac jam prior hypothesis nostra, quod verbum *נָתַר* inter alia significet hac tria: (1.) dedit & in passivo datus est. (2.) fuit, (3.) effudit & in passivo effusus est. Alterius hypothesis loco ponemus notatum dignissimum & interpretibus Scriptura scitu maximè necessarium Canonem, quem inter alios memorat Maldonatus, atq[ue] exemplis quoq[ue] illustrat, ad Matth. cap. XIII, 32. Quando vocabulum aliquod duo vel plus significata habet in V. T. hinc fieri nonnunquam in N. T. ut illarum significationum una pro altera ponatur. Ex his presuppositis, facilissimus & ex naturâ sacri idiomatici sponte fluens evascitur sensus presentis loci

loci Johannis, in quo verbum non idem est, quod datus est vel effusus est, quatenus scilicet eius est inter significata verbi π & quatenus verbum π non denatur quoque dari vel effundi. Nihiljam à veritate Evangelica historia aut salvifica fidei principius in his ita expositus veribus alienum: Nondum enim datus vel effusus erat Spiritus S. nimirum futuri maneris efficacia, in N. T. nondum declarata erat vis & potestas Spiritus S. Super Apostolos eorumq; successores, omnesq; Christi fideles. Inse quippe sanctus Spiritus jam ante exsisterat, quod planis verbis testificatur Baptista Joh. I, 32. & Angelus Gabriel Luc. I, 35. quae & alia loca si conseruantur cum praesenti loco Johannis, non potest non hic ad eum, quem diximus, modum in primis de visibili effusione die Pentecostes facta explicari.

STa pestis! sacer est locus hic: quid pollice verso tentas scelestè? at æmulator hem cave!
Intemerata legam divini scripta Johannis:
Ausus rapaces frange Kaz auere mi.
Ille D E I digitus post hæc tua dirigat almis
studia, perinde ut haec tenus, successibus.

Eruditissimi Respondentis

Patronorum favore dignissimam solertiam,
atq; in theologicis præcipue studiis singula-
rem attentionem paucis hisce serio appro-
bat ac commendat

JOH. SAVBERTVS D.

FINIS.